

24
DE
**FORO PERSONARVM
MISERABILIVM,**

AD LEGEM VNICAM CODICIS:
QVANDO IMPERATOR INTER PVPILLOS
VEL VIDVAS ETC.

DISSENTATIO IVRIDICA,

Q V A M
SPECIMINIS LOCO A SE ELABORATAM
S V B
AVSPICIIS DIVINIS,

CONSENTIENTE
AMPLISSIMA ET INCLYTA FACVLTATE IVRIDICA
IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI,

PRAESIDE
VIRO EXCELLENTISSIMO ET CONSULTISSIMO

D O M I N O
WALTER VINCENT WIESE,
IVR. DOCT. ET PROF. PYBL. ORD. FACVLT. IVRID. SEN.
ET P. T. DECANO,

PROMOTORE IN PERPETVVM DEVENERANDO,
ANNO MDCCCLXXXI DIE VI. APRILIS,

IN A C R O A T E R I O M A I O R I
HORA NONA ANTE MERIDIEM
PVBLICO EXAMINI SVBMITTET
IOHANN GOTTFRIED CRUMBIEGEL,

ROSTOCHIENSIS.

ROSTOCHII,
TYPIS ADLERIANIS.



EGO PERSONARVM
MISERABILIA

AD TECDEM ANTOVM CODICIBVS
GANDS IMPERATOR INTER PARTES
VEL VIBAS etc.

MISSATRATO IARIDIC
SPECIMINIS LOGO A SE ET LABORATA
VASTICHS DIVINIS
AMPISSIMA ET INCITAL FOOLATE IARIDIC
IN QUDAM ROSTOCHENSI
ALERE EXCELLENTISSIMO ET CONSULTISSIMO
DOMINO
WALTER VINCENT WITTE
TOMOTORI IN PERPETUAM DEFENSANDO
VANIS MCLXXX DE AL VITRI
IN ACOGATARIO MILIORI
PARTEO AXIMINI SAVINET
IONANN GOTTEREID GRIMBERGEL



ROSTOCHENSI
TYPIS ADTERRAMIS

MAECENATI SVO,

VIRO PERILLVSTRI

DISSESTITONIEN DILECTISSIMO
DOMINO

D. IOHANN CHRISTIAN
SIGILLVM GRATIAE AC OFFICIOSAE MENTIS
QVISTORP,

SVMMI REGII TRIBVNALIS WISMARIENSIS ASSESSORI

GRAVISSIMO,

Q V E M

S V M M A R E V E R E N T I A

AMFLECTITVR

JOHANN GOTTFRIED CRIMBERG

MECEENATI SAV

VIRO PERNICITATE STRI

QVALEM CVNQVE DISSERTATIONEM

D. IOHANN CHRISTIAN
GAISTORF
SIGNVM GRATAE AC OFFICIOSAE MENTIS

DAT DICAT DEDICAT

SUMMI REGII TRIBUNALIS MISERICORDIAE VSESSORI

GRAVASSIMO
TANTI VIRI

G A E M

SUMMI REGII TRIBUNALIS

EXCELSIOR

cultor obsequiosissimus
JOHANN GOTTFRIED CRUMBIEGEL.



§. I.

Pro emium.

Quum ante discessum ex hac alma patria, in qua per trium annorum spatium in scientias iuridicas incubui, ad specimen studiorum publica disputatione edendum complures me commouissent rationes, atque hunc in finem varias iurisprudentiae materias pro facultate mea, quam valde confiteor exiguum, perlustrasse: inter alias in rubro nominatam elegi; animo mecum constituens, de foro miserabilium personarum quid sentiam, proferre. Non minus quidem ipsius materiae, qua premitur, difficultas, quam eorum agmen, qui de ea iam multa contulerunt, atque quorum nomina-
tione KAESTNER⁴⁾ quatuor complet paragraphos, facile ab hoc instituto deterrere me potuisset, nisi sperasse, fore ut mihi iuueni indulgeatur audacia in supplendo eo, quod auctioribus mox nominandis deest. Praeter a KAESTNERO laudatos auctores in primis beat. THOMASIVS dissertationem de singulari aequitate Tit. C. quando Imper. inter pup. etc. cognoscat etc. eiusque usupradicco. RITTER de priuilegio fori personarum miserabilium occasione l. un. C. quando Imp. inter pup. etc. BAYER de priuilegiis miserabilium personarum

ratione fori intuitu Tit. C. quando Imp. inter pup. etc. ZOLLER ad legem un. C. quando Imp. inter pupill. etc. FEVERBACH de quatuor an. et quatenus priuilegia miserabilium personarum pauperibus denegari possint ad l. un. C. quando Imp. inter pupill. etc. scripserunt. Ceteroquin plur s. dhub de hac materia commemorauerunt, ex quibus, quoniam mihi non fuerunt in promtu, nullos fructus capere potui.

a) In diff. an. rens sit miserabilis persona ad leg. un. C. quando Imp. inter pup. etc,

§. 2.

Lex in qua materiae sedes.

Hanc materiam perscrutando inueni, nusquam nisi in lege dicta C. quando Imperator inter pupillos, vel viduas, vel alias miserabiles personas cognoscat: et ne exhibeantur, miserabilium personarum priuilegium situm esse; quare cum haec lex omnem facit paginam, liceat ita hic eam allegare, vt expressis verbis in titulo decimo quarto libri terii C. legitur, quae haec sunt: *Si contra pupillos, vel viduas, vel diuturno morbo fatigatos et debiles impetratum fuerit lenitatis nostrae iudicium, memorati a nullo nostrorum iudicium compellantur comitatui nostro sui copiam facere; quinimo intra prouinciam, in qua litigator et testes vel instrumenta sunt, experiantur iurgandi fortunam: atque omnis cautela seruetur, ne terminos prouinciarum suarum cogantur excedere. Quodsi pupilli, vel viduae, aliquie fortunae iniuria miserabiles, iudicium nostrae serenitatis orauerint, praesertim cum alicuius potentiam perhorrescant: cogantur eorum aduersarii examini nostro sui copiam facere.* b) Iam primo intuitu hanc legem contemplanti patebit, duorum in hac lege priuilegorum mentionem fieri, quorum prius verba: *Si contra, vsque ad: — cogantur excedere, posterius verba: Quodsi, vsque ad: copiam facere, absoluunt.* Quamquam hoc ultimum pertractandi mili tantum animus est: non abs re ramen puto, et illud prius supremo attigisse digito.

b) De variis lectionibus huius legis commemorat THOMASIUS l. c. §. 3.

§. 3.

§. 3.

Quid de illo priori priuilegio statuendum sit?

Priusquam aliquid de hoc priuilegio asserti poret, necessario, ut arbitror, investigandum est, in quo consistat? Non antiquiores solum sed omnes etiam nouiores, quos legi, auctores, et de quibus THOMASIVM^{c)} et LEYSERVVM^{d)} laudare sufficiat, sine dubio hoc priuilegio pupillis viduis etc. nihil magis, quam ut e foro ordinario in prima instantia euocari nequeant, concessum esse contendunt; rationem vero huius asserti nemo profert. Ex ipsis nostrae legis verbis talern interpretationem deduci posse, non satis mihi persuasum est. His enim modus, quo dictas personae in prouincia conueniuntur, minime determinatur, atque nec ordinarii, nec extraordinarii, nec competentes, nec incompetentes iudices commemorantur, sed sanctitur tantum, dictas personas non ante Imperatorem trahendas esse, vi dilucide declarant verba: memorati etc. ac: omnis cautela etc.; et quoniam in his non constituitur, vtrum, vt alias plerumque creditur, in prima instantia an in vteriori ad Imperatorem prouocari debeant, sed quaevis potius e prouincia exeundi coactio prohibetur, illorum opinioni non subscriptere possum, qui hoc priuilegio forum ordinarium ac quasi instantiam primam constitutam esse credunt; sed e contrario hac lege sane modus, quo quis in prouincia conueniens sit, sicuti respectu reliquarum, ita et hic memoratarum personarum intactus mansit. Imperator certe, vt ex ipsis verbis legis elucet, tantum hoc agere vult, vt dictas personas ab aduersariorum vehementissimis turbationibus ac perpetuis liberaret; quod quoniam ita effici optime poterat, quum euocationem ex prouincia prohiberet: reuera hanc euocandi facultatem demere, voluit, atque sic hos temere litigantes prouincialium iudicium sententia contentos esse coegit. Quod autem ad refrenandas aduersariorum perturbationes attiner, hanc veram huius legis et priuilegii fuisse rationem, ex eo adhuc magis apparer, quod non ipsas simul has personas illa facultate priuauit, sed vii dixi, earum tantum aduersarios, quippe quum Imperator non ita loquutus sit: memorati — — non faciant, sed non compellantur facere; non: ne excedant, sed ne cogantur excedere, ex quo in aprico est, his,

si,

si ad Imperatorem prouocare vtile ipsis videretur, non aeque
 ac illos vexantibus aduersariis hoc ius ademtum esse. Nunc igitur
 determinatu facile erit, quid statuendum sit de RITTERI e)
 et BAYERI f) opinione. Hi cum reliquis asserunt, istud priuilegium
 hodie per Nouellam 86 ad omnes extensum esse litigan-
 tes, adeoque, quum vi huius nemini beneficium primae instan-
 tiae ac fori ordinarii anferri queat, nullius hoc beneficium esse
 vsus. Quodsi vero, hanc legem nihil minus quam forum ordi-
 narium constitueret, certum est; ex fundamento a Nouella allegata
 desumpto legis adductae abrogatio recte deduci sane non potest,
 sed probabiliorem abrogationis speciem finis dictae Nouellae in
 se continere videtur, quippe in quo sanctitur, si iudex differat
 discernere negotium, nec litigantibus iustitiam seruet, ad Imperato-
 rem appellare vnicuique licere, ergo quoque iis, qui pupi-
 los viduas etc. conuenient. Ast hic rursum obstat regula fatis
 nota, secundum quam lex posterior generalis priori speciali non
 derogat, nisi expressa legislatoris voluntas hoc testatur. Atqui
 inde sequitur, vt per Nouellam 86 hoc primum priuilegium ne-
 quaquam sit derogatum, sed respectu huius florido vigeat valore.
 Non magis vero placet, quam THOMASIVS tuerit, sententia,
 Hic g) enim ita distinguit, vt prouocatio ad Principem in prima in-
 stantia veliusta, vel iniusta sit; in posteriori casu plane eam tollere cu-
 pit, in priori vero nullam huius specialis cessionis adductam esse ra-
 tionem, et tunc eam iniustum esse demonstrat. Ast conceda-
 mus iniustitiam prouocationis ad Principem in prima instantia,
 quid inde? Hanc specialem euocationis sublationem valere? mi-
 nime, sed Imperatorem, vt ipse quoque THOMASIVS obseruat, ta-
 xandum esse, quin talis euocatio generaliter sublata sit. Si vero,
 vt dixi, hic prouocatio ad Principem non in prima sed in ultima
 sublata est instantia; minime huius vterioris prouocationis, quam
 in genere iustissimam esse contendeo, sublatio specialis ob rationes
 in lege ipsa allegatas contra iustitiam mihi certare videtur. De-
 nique concedamus, maximae hanc legem patrocinari iniustitiae,
 ex hoc tamen nemo, quum et iniustissima sed rite lata ac recepta
 lex valeat, illius abrogationem deducere poterit. Ex his igitur
 omnibus non euinci potest, hanc legem extra usum esse. Sed
 aliud sane, si legem ipsam intuemur, adest fundamentum, quod
 hodier-

9

hodierno illam destituit vsu. Ex ipsa enim hac lege elucet, tali-
bus pupillis viduis etc. hoc priuilegium concessum esse, qui in
prouincia romana vitam degunt, quare si hodie locum inueniret,
non nisi prouinciae ciuibus concedi posset. Sed nemo negabit,
quaecunque de prouincia; et in primis respectu iurisdictionis
noscamus, tam esse confusa et perturbata, vt, quae quandam
prouinciae ciuibus concedebarunt, ad yllum Germanorum ciuium
genus cum certitudine applicare nemo audet, quamobrem plane
illi deficiunt subiecti, in quibus cum ratione nostrum priuilegium
locum inuenire potest, hinc totus quoque illius vsus hodiernus
plane denegandus erit. Si vero tali modo constat, omnia, quae am-
plius hac de re inueſtigantur, ob vsus defectum nullius esse vtilitatis,
inter alias et dubiam illam quaſtionem, quae per dictas personas
pupilos viduas etc. intelligantur, eo tuſtis silentio tranſeo, quo
certius non niſi nugas agerem.

c) loc. cit. Sect. 2. §. 35.

p) Specim. 78. m. 1.

e) l. c. part. 2. th. II. §. 2.

g) l. c. Sect. 2. §. 35.

§. 4.

Quae sit ratio huius dispositionis?

Transgredior ad scopum primarium, ad beneficium secun-
dum in dicta lege concessum, atque merito initium capio perſcrutando, vtrum aliqua huius priuilegiī ſana ratio probanda ſit, an
iis, qui plane eam cerebrinam adpellant, ſit adſentendum? Qui
in hac lege veram dextrixiſe rationem credunt, in eo conſen-
tunt, quod in Imperatoris Constantini aequitate ſita ſit, nec ego quo-
que poſſum, quin in horum transcendam ſententiam. Aſt vtrum
haec acqūras ſine limitatione in quoquis obueniente caſu accipienda
ſit, vt illi ſimul credunt, de hoc valde dubito. Certe enim Im-
perator complures in imperio obſeruabat, qui ob defectum facul-
tatum, et copiarum, ob qualitatem personae, ob relationem, alias
que circumſtantias, non ſine enormi danno ac ſalutis interitu, cauſas
ordinarie peragere poterant, quos omni ope deſtitutos dērelin-
quere iniquum ipſi videbatur, atque quomodo hiſ ſuccurrendum

B

ſit

sit meditabatur, ad quod nullam meliorem inueniebat viam, quam sanciendo, ut harum personarum aduersarii immediate ipsius examini sui copiam facerent, ideo ut statim ipse sententiam ferre ac has personas ab omni laesione omnibusque litium retardationibus tutas praestare posset. Si vero, quod quisque confitebitur, cuiusvis est Imperantis, pari cura et iniquum extirpare et aequum promovere, vtrumque autem ipso hoc priuilegio, iis nimirum, qui non sine enormi damno cauiss ordinarie peragere poterant, principem ipsum adeundi facultatem largiendo, quod sane aequitati conuenit, a Constantino effectum est: nescio vtrum quis esse possit, qui huius beneficii aequitatem et iustitiam vocet in dubium. Atqui quum ex hoc nihil absurdum seu contradictionis eluceat, quinimo remedium iusto valde conueniat scopo: non intelligo, nisi omnem sanam mentem Imperatori denegare placet, quomodo haec dicta ratio vel euidenter falsa sit, vel petitionem principii sapiat. b)

b) THOMASIVS I, c Sect. 3. §. 32.

§. 5.

Quibus hoc priuilegium concessum sit? ac quae respectu huius miserabilis personae dici mereantur?

His praefabricatis non perdifficile duco, determinare, quibus hoc priuilegium tribuendum sit? Dummmodo enim a uera ratione non discedamus; ipsa uerba, quae has personas indicant, ab omni interpretatione haud aliena sunt, quamvis ea satis obscura esse non negandum sit, ita ut summam inter doctores dissensionem excitauerint. Nam quum Imperator in hoc priuilegio, quod si, inquit, pupilli vel uiduae, aliique fortunae iniuria miserabilis, ac porro, si contra pupilos, vi, duas, vel diuturno morbo fatigatos et debiles: alii hoc priuilegium cuius pupillo: uiduae, morbo fatigato ac debili, quippe quae personae in primo priuilegio nominatae sunt, et praeter has nemini concedunt, alii e contrario cuicunque, qui ulla miseria premitur, tam larga manu conferunt, ut nulli dubient, quin ipsum ceteroquin felicissimum et virginum et studiosorum i) genus in miserabilium personarum numerum referant. Priorem sententiam, inter alios

GOTHO-

GOTHOFREDVS ¹⁾ qui tamen ²⁾ pauperes adhuc addit, ac **LEY-**
SER tueruntur, sed sine ulla prolata vel lege vel ratione; et licet
THOMASIVS ²⁾ ui contextus illi opem ferre cupiat, non tamen
 sufficit haec ratio. Primo enim aperte ex lege apparat, Impera-
 torem minime iisdem miserabilibus prospicere voluisse; nam
 prius priuilegium iis tantum, qui in prouincia vitam agebant, con-
 tra ea ultimum in quoconque regni loco vitam degentibus datum
 est. Deinde cui bono tam uana subiectorum repetitio, eaque uer-
 bis plane diuersis? Denique si interpretatio ex contextu locum
 inuenire debet, prius ex posteriori aequa ac posterius ex priori
 probari potest, atque significationes uerborum: *uiduae, pupilli, di-*
viturno morbo fatigati et in primis *et debiles* primi priuilegii, ex
 significatione uerborum: *Aliique fortunae iniuria miserabiles* potius,
 quam horum vis ex illorum notione determinari, forrasse praefatet.
 Ac postremo haec duo priuilegia toto coelo distant, ita
 ut inde, quod illud concessum sit alteri, et eidem concedendum
 esse hoc, iustis sane syllogismis concludi nequeat. Neque magis
 conuincor iis, quae profert **FEVERBACH** ³⁾. Hic enim asserit,
 Imperatorem in rubrica pupillos viduas alias miserabiles per-
 sonas nominasse, et in primo priuilegio, quas sub voce miserabi-
 les personas intelligi vellet explicasse, hinc inde apparere, non
 nisi easdem personas iisdem verbi in secundo priuilegio compre-
 hendi posse. Sed ni fallor eluet quidem ex speciali non nullarum
 personarum denominatione, has dictas esse miserabiles, sed
 praeterea nihil, ergo minime, ceteras omisssas esse non misera-
 biles. Si igitur eadem verba in priuilegio secundo proueniunt,
 etiam si hinc constaret, in primo memoratas personas esse easdem
 miserabiles intuitu secundi priuilegii, eodemque modo, quo pu-
 pilli et uiduae, hoc participare priuilegium: minime tamen inde
 consequens foret, non nominatas esse non miserabiles, nec ideo
 gaudere posse hoc priuilegio. Sed non constat. Evidem con-
 cedo, explicauit Imperator mentem suam, sed respectu primi tan-
 tum prilegii, id, quod aperte ex natura differentiaque vtrorum-
 que tam valde inter se discrepantium priuilegiorum eminet.
 Quis enim est, qui nesciat corpus morbo fatigatum ac debile pre-
 cipue tunc temporis grauissimo fuisse impedimento ad peragen-
 dum eas in primis lites, quae comparitionem personalem extra

prouinciam desiderabant, quum e contrario eadem corporis infirmitas nullum praebat obstaculum, quo minus quis aduersarium ab iudice inferiore gradatim in eodem loco ad summum protrahat. Respicit ergo Imperator ad priuilegium ipsum, dum aliquas miserabiles personas speciatim nominat, quae igitur tales esse desinunt, simul ac de alio beneficio est sermo. Sed non minora huic sententiae, cuiuscumque feliciter miserabili personae hoc concedendum esse priuilegium, obstant dubia. Primo enim confestim oritur quaestio: *Quis est miserabilis persona?* Est haec vox nusquam in legibus determinata, neque tamen sine eius distincta notione tuto ad ueram subiecti cognitionem peruenire possumus. Qui cuilibet miserabili hoc priuilegium vi horum uerborum concedunt, hi necessario sensum latissimum adhibere debent, quodsi autem fieret, miserabilium numerus absolute foret infinitus. Liceat enim eo sensu miseriem fingere, quo uenit in communi vita, quis quaeſo tunc foret, qui non aliquam miseriem pro se allegaturus fit, ac tali modo inferioris iudicis decretum ita effugeret, vt nihil huic relinqueretur iurisdictionis. Deinde nonne summam iniustitiam, immo insaniam Imperatoris haec lex proderet, si hoc priuilegium cuilibet concessum esse statueremus, etiamſi tamē paſſus sit miseriam, quae neutiquam conferri mereatur cum illa facultate, praetermissis iudicibus inferioribus, ad ipsum Imperatorem prouocandi. Profecto vtrumque Imperator noluit. Et postremo talis interpretatio quam latissima regulae iam tritae, quod beneficia strictae sint interpretationis, omnino contraria foret. Haec non minus me mouent ne hanc interpretationem faciam meam, quam illa me dehorrantur, vt isti subſcribam sententiae. Ast tunc rursus mouet quæſtio: *quis est, qui hoc gaudent beneficio?* In respondendo ad hanc quæſtionem necessario ad rationem huius beneficii respiciendum est, atque quum haec in eo confiſtat, vt Imperator iis, qui cauſas suas processu ordinario non sine enormi danno absoluere poterant, succurrere voluerit, mihi non abſonum videtur, si respectu huius legis eas personas nominamus miserabiles, qui tunc quando ipſarum cauſa ordinarie agi-
 tur, grauiſſimum patiuntur detrimentum, ideoque non nisi huiusmodi personis hoc concedimus priuilegium. Nam nisi sumamus, quod nunquam tamen concedi potest, Imperatori atrocissimam

simam coeterorum tuendi laesionem animum fuisse, id, quod
 sane factum esset, quando ad ipsum Imperatorem, omissis iudi-
 cibus ordinariis appellare permisisset iis, qui quidem miseria
 premuntur, at non ea, qua ulla modo in ordinaria suarum rerum de-
 fensione turbantur, nisi igitur id sumamus: nunquam sumi potest,
 Imperatorem verbis: *aliisque fortunae in iuria miserabiles*, alias
 quam iamiam dictas intellexisse. Sed ex hoc elucet, sicut in nullo statu
 generatim semper talis qualitas, ac tale impedimentum obuenit, ita
 quoque nullum statum in genere hoc beneficio munitum esse, adeo ut
 nec semper pupillus, quia in statu pupillari, nec vidua, quia in statu vi-
 duitatis, est, eo uti possit, licet non negandum sit, hoc aperte contra
 ipsa verba certare videri, quippe quae in genere continent: *quod si*
pupilli vel viduae. Inficiari quidem nequeo, cuilibet personae,
 simulac eam constet esse vel viduam vel pupillum, in praxi hoc
 dari solere priuilegium; ac ne vllum quidem oritur dubium, nisi
 fortasse sit persona illustris p); interim fatendum mihi est, non-
 nulla dubia contraria magnopere mihi commendare sententiam.
 Quis enim est, qui vllam vnaquam sanam rationem detegere pos-
 sit, quae Imperatorem mouisset, ut huic personarum statui accu-
 rate in genere hoc largitus sit priuilegium. Nam respectu vi-
 duae haec ratio vel ex idea feminae in genere, vel viduae in spe-
 cie petenda est. Intuitu prioris defectus defensoris fortasse ad-
 sumeretur ut ratio mouens; sed hoc quadraret pariter in virgi-
 nem atque in viduam, atque quum tantum huic non illi, priuile-
 gium concessum est, omnino euaneat. Intuitu posterioris autem
 aequo minus in specifica viduae differentia inueni potest ratio
 legis. Nam quum haec in defectu commercii coniugalis consi-
 stat, iste vero defectus nequaquam ad illud priuilegium referri
 possit: neminem quoque huius legis rationem ex illo argumento
 credo deducturum esse. Nec aliter se res habet intuitu pupilli:
 Quamquam enim lubricum aetatis ut ratio proferatur: huic tamen
 rursus opponendum est, idem etiam ad quoscumque minores ap-
 plicari posse, quibus tamen hoc non est concessum; cui deinde
 accedit, ut quoque haec qualitas nihil cum dato priuilegio habeat
 commune. Quoniama igitur in ante dictis nequicquam vera ac
 iusta ratio, cur his praecipue personis dictum priuilegium datum
 sit, detegi potest, sed e contrario talem interpretationem, nisi

Constantinum summae incusemus iniustiae, haud defendere possumus: lubens confiteor, utrum ea Imperatori fuerit mens, me adhuc valde dubitare. Certe enim Imperator, quemadmodum iam antea dixi, iis opem ferre studet, qui alias magnum ex processu ordinario caperent damnum, atque hos verbis: *fortunae iniuria miserabiles* comprehendit. Iam vidit a fortuna derelictorum maximam partem esse viduas et pupilos, et quoniam a potiori fit denominatio, ut exemplum daret, quaenam sint personae miserabiles, hoc potissimum genus hominum nominat, atque hinc ita loquitur: *Quodsi pupilli vel viduae — puta nimirum, si vere sunt personae miserabiles ex mente Imperoris.* Minime igitur hos nominavit eum in finem, ut pupilli et viduae sine discrimine, sive ad miserabilium personarum numerum referri queant sive non, vna cum reliquis hocce participant priuilegium, quippe quum non dixerit Imperator: *et fortunae iniuria miserabiles,* sed caute prouideque *aliique.* Id quod indicat, tales eum pupilos talesque viduas intellexisse, que reuera sunt miserabiles, iisque tantum hoc priuilegium concedere voluisse. Quare ut nemo defendet, mortem aut patris aut mariti semper aut vxorem aut liberos tam reddere miserabiles, ut hoc nomen vi huius legis suo iure mereantur; sic vtique pupillo aut viduae, quando secundum hanc legem miserabiles personae vocandae sint, vsus huius priuilegii est largiendus non minus ac cuius alii affictae fortunae homini.

Si tali modo haec legis nostrae verba secundum probabilem Imperatoris sensum explicamus, omnia quoque dilabuntur dubia. Tunc enim non illam solum *Constantini* iniustiae ac laesione suspicionem e medio tollimus, prudentiamque eius tutam praestamus et aequitatem, sed euanescunt quoque illae captiosae quaestiones in compluribus 2) scriptis tot repletos paragraphos, utrum iudeis, nouiter baptizatis, mercatoribus, meretricibus et virginibus et studiolis etc. etc. hoc priuilegium datum sit? In genere enim his omnibus denegandum est, quia ad has personas qua tales, hoc priuilegium non directum est, sed ad eas tantum, quae re vera sunt miserabiles.

i) LEYSER Sp. 78. m. 4.

2) in commentar. ad l. 2, Cod. Theod. lib. 1. Tit. 10.

- m) Spec. et med. cit.
 n) I. c. §. ii. contentus, inquit, ostendit, quod Imperator iisdem personis
 miserabilibus prospicere voluerit duplice priuilegio.
 o) in dissert. laudat. §. 8. et seqq.
 p) RITTER I. c. §. 36. hoc priuilegium viduis illistribus concedit. Contrarium defendit CARPOWIUS I. 2. tit. 2. R. 20. n. 27.
 q) THOMASIVS I. c. §. ii-22. RITTER I. c. §. 29-50.

§. 6.

*Num priuilegium competit agentibus tantum, an etiam
 reis et interuenientibus?*

De hac quaestione vtrum et reis hoc competit priuilegium, iam alibi valde certatum est. Prolata enim sunt argumenta, quae affirmativa, prolata sunt, quae negatiuam tuentur sententiam ¹⁾. Priori imprimis sunt opposita dubia, 1) quod duo tantum haec lex in se continet priuilegia, tertium non commemorat, 2) quod verba copiam sui facere et orare proprie de reo dici nequeunt, 3) quod ius singulare, ergo etiam priuilegium est stricte interpretandum, et 4) quod talis interpretatio certat contra iurisdictiōnem patrimonialem. Sed ita respondeo, quod respectu primi dubii quilibet nouum atque tertium priuilegium aequa minus querere, ac, vt generi eius species detrahatur, concedere cupiat. Si igitur, quod luce meridiana clarus est, et ipsi quoque negantes affirman, miserabilibus personis facultas aduersarios ad Principem ipsum in ius vocandi data est, et miserabilis reus pariter ac miserabilis auctor pro miserabilibus reputandi sunt personis, nec vtrum talis persona reus an auctor an vterque esse debeat, nusquam determinatum est: profecto non credo, alteri speciei denegare posse, quod concedatur alteri. Quod attinet argumentum secundum iam a BERGERO ²⁾ reprobatum est, quippe qui horum verborum sensum, et cum his connexam Imperatoris mentem bene explicauit. Huc praeterea accedit, quod ipsis verbis copiam facere Imperator in primo eiusdem legis usus sit priuilegio, cuius applicationem nemo tamen reo denegabit. Quoad dubium tertium, equidem non nego, priuilegium esse stricte interpretandum, ex quo autem, me iudice, non fluit, id quod in priuilegio continetur ex eo esse delen-

delendum. Quartae denique obiectionis nulla habenda est ratio, quia eadem maner conditio iurisdictionis patrimonialis respectu rei, quae est respectu actoris, et nullum intuitu huius, utrum reus an actor sit miserabilis, oritur discrimen. Porro nusquam iudici patrimoniali respectu huius priuilegii ius potius quam cuiuscunq; personali concessum esse inuenio; et denique aperte hic sermo est de iure romano, talis iurisdictionis, qualis est patrimonialis, plane infcio. Quum ergo nullum pro negatiua sententia fortiter pugnat argumentum, sed eadem potius ratio tam in reo, quam in auctore inuenitur, quinimo semper maior est fauor juris pro reo quam pro auctore: affirmatiua sententia magis placet. Simili quoque modo non dubito, quin miserabilis persona in casu interventionis ad summum iudicem aduersarios prouocare possit. Nihil enim huic obstat asserto, quum ii quoque, contra quos interueniunt, eorum sint aduersarii, quorum generalis in saepe dicto priuilegio facta est mentio.

THOMASIVR I. c. Sect. 2. §. 10.

BERGES ad ordin. Proc. p. 96. seq. in suppl. ad El. D. F. P. II.

§. 7.

Ad quodnam iudicium causa devolvatur?

Si miserabilis persona ab inferiori iudice ad superiorem prouocat, hic est vel iudex summus vel intermedius. Ille est talis, a quo appellari nequit, vel quia nullus adest iudex superior, qualia sunt iudicia imperii suprema, vel quia, quamquam alias extat superior, in hac cauſa tamen ei nulla ob aliquod priuilegium e. g. summam appellabilem, competit iurisdictione, quales sunt status imperii in iis cauſis, in quibus ab eorum sententia appellari nequit ad iudicia superiora. Intermedius vero vocatur ad quem et a quo appellatur. Itaque quaeritur, ad quem dictorum iudicium miserabiles persona vi huius beneficij rite prouocet? Ac respondendum est, quod ad iudicem intermedium nulla prouocatio locum inueniat. Talis enim prouocatio per nostram legem, ex qua tamen deducenda esset, minime probatur, quippe quae dicit *examini nostro*. Quoniam vero nullum

nullum adest argumentum, quod probat, eam iurisdictionem, quae tunc temporis apud Imperatorem ipsum fuit, hodie ad iudicem intermedium transisse: extra omnem dubitationis aleam positum est, hanc prouocationem ad iudicem intermedium non nisi vanam ac inutilem esse. Iam quoque ex his apparet, vtrum ad Imperatorem an ad statum imperii s. dominum territoriale ille, qui hoc priuilegio utitur, prouocare debeat, id quod complures dissensus inter Doctores excitauit, quippe qui partim Imperatori ²⁾ partim statibus ¹⁾ supremam indistincte ³⁾ concedunt cognitionem, partim vero in eo, vt pro lubitu ad quemcunque prouocari possit, conuenire videntur. Nam licet alter Imperatori sive iudicis Imperii summis, alter domino territoriali ius in tali diiudicandi casu esse confundat; neuter tamen alii hoc ius competere, quam pro quo certat, directe negat. Sed ab hac opinione totus alienus sum. Nam in eo rei cardo vertitur, quis ea iurisdictione, qua tunc gauisus est Imperator, mutato statu romano, hodie fruatur, vtrum Imperator an status imperii? Quam si naectus est hic, minime illi, sive vero ille, minime huic, ergo non vtrique competere potest. Qum vero expeditum est, Imperatorem iis temporibus summum fuisse iudicem, a cuius sententia nulla locum inuenire poterat prouocatio, ex eo quoque prono alueo fluit, non nisi summo iudici hanc competere iurisdictionem, hoc est, Imperatori seu imperii iudicis tam in caussis appellabilibus, quam in iis quae immediate coram hoc foro peragendae sunt, e. g. quando status imperii, sive ipse sive eius aduersarius ³⁾ misérabilem se confiteatur, vel agit, vel contra eum agitur. In caussis vero non appellabilibus, status imperii ipse sive dominus territorialis est index supremus, hinc in iis caussis rite ad eum prouocatur. Neque illi obstar, quod STRYCK opponit, dum gaudent, inquit, imperii status vi superioritatis territorialis eodem iure in suis territoriis, quo imperator in imperio. Sed hoc non absolute rerum esse, ex eo elucer, quod Imperator olim inter alia ultimam sententiam ferendi regulariter gaudebat facultate, quae vero in caussis appellabilibus hodie statibus imperii non competit.

²⁾ CRAMER Wetzlarische Nebenstudien, zweiter Theil, p. 185. et seq.

¹⁾ STRYK in usu moderno, lib. 5. t. 1.

v) Distinguere quidem STRYK l. c. respectu Camerae, inter eas provincias, e quibus ne quidem per viam appellationis recursus ad Cameram patet, et inter eas, e quibus omnino patet; sed tam in his quam in illis hoc priuilegium exercere statutus imperii defendit, quare plane intelligi nequit, cur distinguat. Deinde haec quoque distinctio non sufficit, quia plura inueniuntur territoria, e quibus in aliis quidem, non autem in ceteris caussis recursus patet ad summum imperii tribunalia.

w) Noli ex his verbis: statutus imperii se miserabilem confiteatur, contradictionem querere. Affirmant quidem CARPZOW. L. 2. Resp. g. n. 27. 28. et CRAMER in Wetzlarischen Nebenstunden, zweiter Theil, pag. 191. statutum imperii, etiam si miserabilis i. e. in sensu ab his assument, vel pupillus, vel vidua etc. hoc priuilegium sibi non vindicare posse. Ast quanta primo dubia contra hoc assertum obmoueri possunt? dum ratio ab iis prolatæ non sufficit; ac deinde secundum mentem legis adducant alia persona est mibi miserabilis, quam quae ab allegatis auctoribus fama conspicuis assumentur, (§. 3. et 4.) Sicut enim nemini ob solam viduitatem seu statutum pupillarem hoc beneficium unquam concederem, ita ob has rationes nec ante memorato statui imperii largior; sed ut in quouis homine ordinaria processus prosequitione grauissimum damnum patiente, ita in hoc etiam statu priuilegium sine dubio obrinabit. Neque cum CARPZOWIO l. c. vereor, ut persona illistris, tali modo pro miserabili habita, injuriis se lacefiant existimaret, ac multo adhuc minus, ne talis idea contradictione laboret.

§. 8.

In quanam parte processus hoc beneficium allegandum sit, et utrum per saltum appellari possit nec ne?

Si eiusmodi persona, quae miserabilis vocari meretur, atque hanc ob caussam suo iure prouocat ad hoc priuilegium vel adversarium conuenit, vel ab eo conuenitur: in dubium a nonnullis vocatur, virum confessim et ante litis contestationem hoc priuilegium in suum usum vertere debeat, an quoconque tempore et lite iam coepit ad Principem pronocare possit. Tam illud quam hoc tuentes laudat LEYSER x) et ad hos defendendos semet ipse accingit. Arque hoc non solum statuendum est, quando persona iam lite coepit miserabilis fuit, sed tunc quoque, quando pendente lite miserabilis facta est. Nullius enim est momenti argumentum, quod in priori tantum casu opponi possit, ex renunciatione

tione deductum, quippe quae, etiam si quis non usus sit priuilegio in prima instantia, minime probari potest; nec maioris valoris est dubium ex l. 3. de jud. desumtum. Sancitur quidem hac lege, quod, ubi iudicium coeptum sit, ibidem finiatur; sed sancitur non minus aliis legibus, quod quisque in prima instantia conueniens sit, vnde tamen nemo totius priuilegii non usum defendere audebit. Sicut ergo huius, ita quoque sane illius legis exceptionem hoc sistere priuilegium, ipsa luce clarius est. Ex quo vero simul sequitur, ut non solum in prima sive superiori instantia, caussa adhuc indecisa, sed tunc etiam, quando sententia ab iudice inferiore lata est, atque caussa ad immediate superiorem, si ordinarie ageretur, devoluenda esset, confessim iudiciis intermediiis praeteritis, ad summum iudicem, ac adeo per saltum prouocari possit. Quoniam enim indeterminate hoc priuilegium personae miserabili concessum est: quounque etiam tempore, in quauis instantia ac generatim ubique eo fruendi sine dubio facul-

x) loc. cit. med. s. 6.

§. 9.

Quomodo ad hoc priuilegium prouocandum sit?

In regula cuius iudicii inferiori comperit facultas de sua ipsius competentia vel incompetencia diiudicandi. Hinc inde fortasse aliquis quaestionem moueret, num, si quis miserabilis illo priuilegio vti vellet, tunc index inferior super admissionem aut denegationem priuilegii cognoscere possit? Sed ex mea quidem sententia haec cognitione ipso ademta ei est priuilegio. Expressis enim verbis dicitur: *Quodsi pupilli etc. iudicium nostrae serenitatis orauerint, i. e. si precibus a Nobis petiuerint, ut ipsis auxilium praestemus.* Ex quo igitur eluet, non inferioris iudicis arbitrio sed Principis iudicio relictum esse, vtrum persona sit miserabilis, nec illum huius rei cognitione gaudere. Itaque necessario ad Principem ipsum dimittendae sunt preces, qui solus tantum hoc largiri potest priuilegium. Ast quaereret fortasse quispiam, vtrum preces necessario semper a miserabili persona prolatae audiendas sint, an

C 2

potius

potius pro labitu Principis reiici possint, quum hoc priuilegium ab ipsius clementia tantum pendeat? Sed huius sententiae numquam particeps esse possum. Quamquam enim, quod negari nequit, tempore publicationis originem Imperatoris Constantini clementiae omnino hoc debet priuilegium: tamen posteaquam ab eo omnibus miserabilibus semel promissum fuit, respectu horum ius eius sit quaestum, ad quod obseruandum non solum Imperator ipse, et ii, qui in eius locum successerunt, sed illi quoque, qui eam legem receperunt, suamque fecere, pariter obligati sunt ac quilibet alius ad validam promissionem implendam. Qui igitur probare potest, se iure ad personarum miserabilium numerum referendum esse, suo iure etiam postular, ut suae audiantur preces. Ad quod vero probandum minime iuramento perhorrefcentiae, sicuti plurimi y) quaerunt, eger, sed iuramento fortasse alio, nimurum miserabilis conditionis, quod tunc certe locum inuenit, quando per documenta, testimonia seu alio modo, qui miserabilem se confiteretur, probare nequit, se respectu huius legis re vera esse tales.

y) THOMASIUS l. c. §. 30.

§. IO.

An aduersario miserabilem conuenienti data sit facultas, hoc forum priuilegiatum confessim elegendi?

Quum non solum miserabili actori sed reo etiam hoc priuilegium concessum est (§. 6.): fortasse cuiquam eo facilius veniret in mentem, vt miserabilem conuenienti liceret statim illud arripere forum superius, quo magis sibi persuasum haberet, miserabilem sine dubio ad idem prouocatarum esse, ac iura partium in regula esse reciproca. Sed profecto omni respectu talis prouocatione recipienda esset. Nullum enim beneficium miserabilium personarum aduersariis, sed miserabilibus ipsis tantum hoc in l. un. C. l. e. indulatum est, quam ob caussam, licet nonnunquam per accidentem in illorum aduersariorum quoque commodum tendat, huius tamen propriè hoc beneficium sibi adsciscere nequeant. Nec obstat, quod nonnulli proferant, huic renunciari non posse priuilegio

gio ob vtilitatem publicam introducto, ex quo fortasse deducatur, miserabilem semper superius agnoscere debere iudicium. Nam alii z) iam responderunt, renunciationem huius beneficij omnino valide fieri posse a). Licet enim sit publicae vtilitatis gratia introductum, ita nimirum, vt miserabilibus eo succurratur, reipublicae tamen nihil interest, vtrum vnus et alter miserabilis eo commodo abstineret an frui malit, quum sufficiat, vt qui cunque miserabilis illud in suam vtilitatem, si velit, vertere posset. Deinde etiam his personis non absolute hoc priuilegium datum sive inunctum, sed saltim sub hac conditione indulatum est, si iudicis lenitatem orent; vt vero necessario orandum sit nusquam praescriptum est. Renunciari igitur omnino potest, atque miserabilis nullo modo inuitus primam instantiam deserere cogendus erit. Superest igitur aduersario miserabilem conuenienti nulla facultas, hoc forum priuilegium confessim eligendi, nisi aperte miserabilis consentiat. Atque ne tunc quidem, vt ipsius preces audiantur, iure postulat, quia non nisi a miserabili oratus princeps illud largiri promisit, et hoc casu pro lubitu vel concedendi vel denegandi omnino faculte abundat.

z) THOMASIVS I. c. §. 24.

a) Ex re ipfa eluet, de talibus tantum esse personis, sermonem, quibus, quomodo rite renuncient, nullo alio respectu obstat impedimentum, e. g. pupillis et minoribus. Hinc distinctione ab Hubero in prael. ad tit. ff. de iud. exhibita, vtrum personae miserabiles iuris cum effectu renunciandi alias capaces sint, nec ne, minime hic opus est.

§. II.

Qualis sit iudicij forma?

Iam ipsa processus ad summum iudicem, intermediis praeritis, deoluti natura docet, eum ad eos esse referendum, qui vocentur extraordinarii. Quaeritur igitur, quando ad hoc summum iudicium caussa peruerterit, vtrum in eo ordinarie an summarie agatur? Lex ipsa modum procedendi in hac suprema instantia non determinat, sed facultatem tantum ad eam prouocandi permittens nullam de procedendi modo facit mentionem, quapropter merito assumendum esset, quia modus ipse in hoc iudicio

judicio a nostra lege intactus permanisset, consuetum quoque haud immutatum obseruandum esse, atque acquiesceret fortasse aliquis in eo, quod caussas personarum miserabilium p[er] alios cognosci et expediti oporteat b). Ast sane contra omnem huius legis rationem talis certaret opinio. Nam Constantinus procul dubio, vti iam saepius dictum est, studuit, vt contra omnes vexas, turbationes, laefiones ac ipsas injurias munitos praestaret miserabiles. Si itaque hunc in finem tantum iis concessisset priuilegium, vt omnia, inferiora praeterire possent iudicia, atque nihilominus ad processum ordinarium summo iudicio visitatum eos alligasset, quam maximis ipsos exposuisset vexationibus, ita vt illa constitutio nullius foret usus: fane voluit Imperator, vt in ipso hoc iudicio de simplici et plano hinc summarie procedatur. Cessat igitur ordinis iudicarii civilis observatio exactissima; cessat omnis processus ordinarii forma praeteressentialis, nec non nisi sustantia processus sunt adhibenda.

b) LEYSER l. c. m. 2.

§. 12.

Quid iuris remediorum suspensiourum?

Remedium suspensiuum, vti constat, in genere est id, quod usque dum praeviae caussae cognitione noua fertur sententia, ne vires rei iudicatae prima sententia consequatur, impedit. Quae si noua sententia fertur a iudice superiore, remedium nominatur deuolutiu[m], sin vero ab eodem, suspensiuum in specie c). Moveretur itaque quaestio, vtrum quis horum alterutro in caussa miserabilis vti possit remedio? Vbiique quidem intactam ac indecismam hanc inueni materiam; quia autem pro vna aut altera sententia tam dubia certant quam argumenta, disquisitione ac examine eo magis me iudice indigebit, quo facilius peruerso horum remediorum usu priuilegium omni utilitate careret.

Quod remedia attinet deuolutiu[m], nihil clarius est, quam plane haec applicari non posse. Vnicuique enim hoc priuilegio vrenti eo ipso ad summum iudicem prouocandum est. Si vero ad summum, cuius nullus est superior, prouocatur; omnis euanescit reme-

remediorum deuolutiiorum idea. Maiori vero dubio obnoxius est remediorum suspensiiorum in specie visus. Aperte enim haec retardant litis prossequitionem, ad quam tamen evitandam ipsum privilegium introductum est. Deinde etiam Imperator omnium iis temporibus visitatorum, quae tunc tantum in appellatione consistebant, remediorum usum in hac litium specie nostro sustulit priuilegio, ex quo igitur non sine ratione dederetur, et hodie adhuc omnia remedia sublata esse. Respectu vero illius dubii, ad dirimendas vexas quidem concessum est priuilegium, sed et tunc, quando haec remedia adhibentur, dirimuntur illae vexae. Si enim, id quod in paragrapho praecedente est praesuppositum, talis cauſa nonnisi summaria agitur: et hic ea tam breui temporis spatio quam expensis paucis absolui potest. Respectu huius vero dubii, disponere quidem potuit Imperator de tunc cognitorum non vero de postea introductorum remediorum applicatione, atque hoc eo minus, quod illud remedium deuolutium, puta, appellatio, tam ob priuilegii quam rationis ipsius naturam plane exerceri non poterat, nostra autem remedia suspensiua et cuncta hac et cum illo valde congruunt.

e) HELLFELD in iurispr. forens. lib. 49. tit. 1. §. 2106.

§. 13.

In quibus casibus cesset hoc priuilegium?

Exhibitio ipsius priuilegii tenore ac sensu, determinatis personis, quibus competat, modoque, quo petendum ac agendum sit absolute, tandem ad eos, in quibus hoc priuilegium locum amplius non inuenit, peruenimus casus. Quorum quum complures a compluribus quoque iam pertractati sunt, extra dubitationis aleam positos nominare tantum, controuersias vero obnoxios paulo prolixius commemorare liceat.

Cessat igitur secundum legis un. C. nostrae priuilegium 1) cessante ratione. Quodsi enim expeditum est, omnem huius beneficii rationem in aequitatem sitam esse, (§. 4.) male peruerseque autem adhibitam aequitatem euadere iniuriam, laesionem, iniuriam; nemo defendere audebit, hoc priuilegium tunc quoque, quando ratio

ratio cessat, sine alterius laesione adhiberi posse. Quum vero aequo
 minus aliquis laesionem ex ipsa lege deducere contendet, prono
 alueo fluit, non nisi ratione existente locum priuilegium inuenire
 posse. Ex hoc itaque quam clarissime eluet, cessare 2) etiam
 tunc, quando lis coram supremo iudice quidem iam copta est,
 persona vero desinit miserabilis esse. Miserabilium enim aduer-
 sarii superiori iudici sui copiam facere debent; simulac autem mi-
 serabiles hanc qualitatem deponunt, eorum aduersarii quoque
 salua lege supra allegata rursum ad priorem instantiam tuto cau-
 sam retrahunt. Sicuti enim iis, qui pendente lite coram iudice
 inferiore ventilata in personarum miserabilium numerum redacti
 sunt, sane nemo hoc priuilegium denegabit, quinimo reiecto argu-
 mento ex l. 30. de iud. petito iis, qui litem iam alibi cooperunt, tamen
 ad indicem summum quoquis tempore semperque prouocationem
 concedimus, ita quoque, quin miserabili personae durante lite statum
 suum mutanti ius ad priuilegium miserabilium personarum porro
 prouocandi, denegandum sit, profecto nemo animi pendebit ^{d)}.
 Cessat 3) contra ipsum miserabilem quodammodo. Quamquam
 enim a pluimis in genere afferitur, miserabilem contra miserabilem
 exercere hoc priuilegium non posse; ea tamen assertio non est
 attendenda. Id quod etiam obseruauerunt BRVNNEMANN ^{e)} ac
 GRÖNEWEGEN ^{f)} qui distinctionem exhibuerunt, vtrum vtraque
 persona sit aequo an altera, altera magis priuilegiata? ac in illo tan-
 tum casu affirmant, in hoc negant. Sed aliam mihi quam illis
 viris haec eadem verba in se continent mentem. Hi enim hacce
 distinctione indicare volunt, tunc cessare hoc priuilegium, quando
 personae eiusdem status litigent, e. g. pupillus contra pupillum,
 vidua contra viduam; minime vero quando lis inter personas
 diuersi status ventilerur e. g. inter pupillum ac viduam, id quod
 valde a mea discrepat sententia, quippe qui non ad statum sed ad
 damnum respicio, quod quis diuturno litis progressu sentit.
 Quam ob rem mea quidem ex sententia tunc cessat hoc priuile-
 gium, quando damnum quod passae erant miserabiles personae
 aequale est, quodsi vero non est, siue determinari, nequit non ces-
 sat ^{g)}. Cessat 4) renunciatione (§. 10.) ^{h)} 5) in cauissimis feudalibus ⁱ⁾
 6) quando aliquis se eo fine miserabilem reddit, vt hoc in suam
 utilitatem vertere possit priuilegium. Aperte enim in fraudem
 legis,

legis, quae utique miserabili opem ferre, minime vero ad miseriam excitandam ansam praebere vult, et dolose talis ageret. Sed ut dolosus nunquam ista succurrit lex, quam quasi adulterant, sic in hos etiam necessario haec Imperatoris constitutio non quadrat, cui se ipsos reddendo miserabiles vim inferunt. Interim tamen nec cum Rhetio ^{e)}, qui propria culpa in paupertatem redactis hoc denegat priuilegium, consentirem, primo quidem ob nimis indeterminatum vocabulum *pauperes*, ac deinde ob omnem probationis defectum. Opinionem enim non nisi *Trentacinquium*, qui non in promptu est, laudando firmat. Nec cum STRVVI^{m)} facio, qui dolose quoque modo in miseriam elapsis hoc beneficium cessare afferit. Quamquam enim hic ad 1.37. §. 3. C. de minorib. prouocat, dum qui contra legem, inquit, peccat, frustra ad eam prouocat: multum tamen absit, vt haec lex sufficere mihi videatur. Primo enim in ea de minoribus, er de aeratis excusatione respectu restitutionis in integrum sermo est, atque hanc ob rem ad quodcumque aliud beneficium legis applicari nequit. Quodsi deinde tam generaliter haec lex disponeret, vt qui vnam legem violer, ad nullam prouocare possit; sane vel minimum contra legem quandam committens quisque iam praescriptus aestimandus esset, ita vt nullum inueniretur ius, ad quod refugium ei pateret. Denique nulla lege interdictum est, ne quis ita agat, vt respectu huius legis, dummodo sine fraude sit, miserabilis euadat. Atqui re ipsa quoque contra nullam legem committit, quapropter argumentum ex hac lege peritum certe dilabitur. Hinc in iis minime cessat, qui aliud crimen, per cuius consequentias miserabiles facti sunt, etiamsi dolose commiserunt, dummodo non eo fine, vt priuilegio vtantur e. g. si quis caede quadam facta in miserabilium personarum numerum redactus est; neutriquam ergo huius criminis seu dolosi facinoris gratia nostrum illi denegarem beneficium ⁿ⁾. Cessat ⁷⁾ in causis minimis ^{o)}. Quae vero sit causa minima ob ideam relatiuam, quae ipsi inest, per difficile est determinatu, quia eadem res alteri maximi, quae alteri nullius est momenti; id quod ergo arbitrio iudicis relinquendum est. Semper deinde afferitur, quod tunc, quando miserabilis persona actionibus sibi cessis vtritur, hoc cesset priuilegium, ^{p)} cuius vero rationem, si absque fraude actio cessa est, non intelligo.

Equidem concedo, neminem potius ius, quam quo ipse gauisus est cedere posse. Sed quis est, qui contendat, miserabiles personas, quibus actio est cessa, hoc ex cedentis iure capere? Suo iure hoc beneficium reclamant, cuius usus in actionibus cessis non est restitutus. Gaudet igitur persona miserabilis, mea quidem ex sententia, omnino hoc priuilegio, tam in actionibus alias rite cessis, quam in propriis, quia nullo modo euinci potest, has tantum sub hoc comprehendendi priuilegio, actiones autem cessaas inde excludi. Sed valde aliter res se habet, quando actiones a miserabili ceduntur non — miserabili. Profecto tunc cessaat priuilegium 8) in his, quippe quod personale est, eamque ob rem neutiquam cedi potest, nec aliis quam miserabilibus ipsis datum est.

- a) Hoc non obstante STRVV. l. c. n. s. cum RITTERO §. 65. defendit: si lis coram supremo iudicis tribunali iamiam pendaat, ac persona quaque desinat esse miserabilis, causam tamen non venire remittendam, sed ibi, ubi primiti coepita sit, determinandam esse.
- e) ad Cod. b. tit. u. 17. 19. fol. 250.
- f) de legibus abrogatis ad b. tit. Cod. n. 6. 7. 8.
- g) ZOLLER in diff. §. 1. cit. defendit §. 15. quidem, reo miserabili hoc non competere priuilegium; unde sponte sequitur, ut non sit priuilegiatus. Nibilominus tamen idem §. 19. defendit, miserabilem contra miserabilem priuilegio non gaudere; quia priuilegiatus contra priuilegiatum vitatur iure communi.
- b) RITTER l. c. §. 73. THOMASIVS l. c. §. 24.
- i) STRVV. l. c. n. 3. RITTER l. c. §. 39.
- l) de miseric. intemp. cap. 8. n. 25.
- m) l. c. n. 6.
- n) Et si plane non intelligo, quam ob rem runc, quando genus per facile est determinatu, quaestiones obmoueantur de speciebus, quae ob differentias specificas ne ab illa quidem premanunt difficultate: in auctoribus tamen paene omnibus hanc materiam pertractantibus, quaestionem, verum hoc priuilegium ceteris in mererrice, obiectam, eamque negatum ubique inveni. Equidem hanc quaestioneum specialem nunquam per tractatione dignum crederem; artamen si mihi quid sentiam respondentum esset, absque illo animo mererricibus patrocinandi. Si matiam tuerer sententiam, si quidem persona revera est miserabilis. Nihil enim ad rem, utrum metrrix au virgo, utrum parafita sit au eremita, quia sine illa relatione vel

vel ad virtutes vel ad virtia, multo minus determinata, hoc datum est beneficium, neque aliquid singularis in meretrice inuenitur, cuius causa causa beneficii in ea cesseret.

o) LEYSER sp. 78. med. 8. STRVV. l. c. n. n.

p) RITTER l. c. §. 68. STRVV. l. c. n. 10.

§. 14.

Vtrum iis adsentendum sit, qui eius applicationem hodiernam penitus negant?

Quamquam plurimi in eo consentiunt, quod haec lex adhuc hodie tam valeat, quam exerceri possit: nonnulli tamen licet pauciores, inter quos imprimitis THOMASIVM q) refero, sunt, qui huius auctoritatem hodiernam vel in dubium vocant vel penitus denegant. Sed quum de illorum aequae minus ac de horum opinione conuinci possum, propterea quod nimis vacillante fundamento utrorumque nituntur rationes: illa prima magis mihi arridet sententia. Quamquam enim aliquid dubii excitatur ex eo, quod ea Iuris Romani capita, quae ad statum publicum respiciunt, mutato Reipublicae statu, perdifficile applicationem inueniunt: huic scrupulo opponendum est, quod vix et ne vix quidem talia capita hodie applicari possint, sed nunquam haec materia fori pro tali aestimanda sit, quae ad statum publicum pertineat, quare salua quidem re dubium sit obmoueri et concedi potest. Receptum potius ubique viget in Germania, in singulis prouinciis, in ipsis imperii summis iudiciis Ius Romanum, ergo et haec lex, cuius igitur valorem qui reicit, vel in specie eam abrogaram vel nostris moribus seu statui hodierno germanico plane contrariam esse affirmat, eius probationem ut in se suscipiat necesse erit. Quum vero et illius et huius asserti omnis deficit probatio, et potius aequitas, quae auxilio destituo opem ferre iuber, non minus in Germanorum quam Romanorum miserabiles applicari potest, nullus dubito. quin nostrum priuilegium, ut quondam, ita omnino quoque hodie valeat exercerique queat.

q) l. c. Sect. 3. et 4.

D 2

§. 15.

§. 15.

Conclusio.

Non quidem multas, Lector Benevoli, impletas vides paginas, neque tamen plura esse, quae pertractare constitueram, lubens confiteor. Atque quum nihil mihi magis curae fuit, quam ut aut nihil omitterem, quod ad rem pertinere vixum sit, aut nihil tangerem, quod a re alienum foret; omnibus alis sat notis excusationibus nimiae, puta, digressionis, scopi, sibi praescriptorum limitum, et q. s. r. quieto supersedeo animo. Quodsi vero humani quid in me reperis, id certe eo magis mihi persuasum est, vt indulgentia TVA excusatum habeas, quo maiorem laudem candidus sane in defendendo quam in perstringendo iuuenem queraris.



PRAE-

PRAENOBILISSIMO
DOMINO RESPONDENTI

GRATVLATVR

P R A E S E S.

Tertius quidem nunc es, qui ex numero commilitonum sollertiafforum idem eruditionis specimen publice exhibere cupis, quod duo iam anno praeterlapsi publicarunt, cum quoque in eo essent, ut exteris adorarent musas; ast nunquam nec in auditoriorum frequentatione, nec in studiorum industria, nec in morum probitate tertius fuisti, quin potius inter nostros ciues sollertes et morigeros primus ita effulsi, ut nemo te in hoc anteceperit honore. Eadem igitur, qua ambo iam diulos accepi labores, TVAM quoque perlegi et emendaui elaborationem animi voluptate, licet non fuerint primitiae laborum tuorum, sed alii iam praecesserint, quorum unus prelo etiam fuit destinatus, inopinato autem casu impeditus. Tanto maior tibi debetur laus et gloria pro indefesso hucusque praesito tam studiorum quam morum amore. Absque blan- ditiarum fuco tam Patriae de cive optima spe laudato, quam orbi litte- rato de alunno scientiarum cupidine flagrante, sicuti etiam parentibus

de filio diligentissimo et obedientissimo gratulari mihi licet. Abeundo
nunc ad exteris musas nostrorum omnium tecum fers applausum, tanto-
que maiores abs TE expectamus peregrinationis et absentiae tuae lauda-
bilis fructus, quum solitum triennii spatium in hac alma perantiqua ad
litteras quiete incubueris, nec nimis properando patrias deserueris scholas.
Conseruet TE summum Numen et Gottingae pariter incolumem, atque
hic semper fuisti, et redeas tandem scientiis locupletissimus in honorem
familiae TVAE a QVISTORPIIS famigeratissimis tam descen-
dentis, quam cum his nominibus Gryphiae et Wismariae eximie flo-
rentibus, a latere coniunctae. Hoc in votis meis est maximis, Dabam
Rostochii, d. 2. Aprilis, 1781.





ULB Halle
004 517 601

3



f

TA → OL

nur 1+8 verknüpft



Farbkarte #13

DE
FORO PERSONARVM
MISERABILIVM,
AD LEGEM VNICAM CODICIS:
QVANDO IMPERATOR INTER PVPILLOS
VEL VIDVAS ETC.

DISSESSATIO IVRIDICA,
SPECIMINIS LOCO A SE ELABORATAM
AVSPICIIS DIVINIS,
CONSENTIENTE
AMPLISSIMA ET INCLYTA FACVLTATE IVRIDICA
IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI,
PRAESIDE
VIRO EXCELLENTISSIMO ET CONSVLTISSIMO
DOMINO
WALTER VINCENT WIESE,
IVR. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD. FACVLT. IVRID. SEN.
ET P. T. DECANO,
PROMOTORE IN PERPETVVM DEVENERANDO,
ANNO MDCCXXXI DIE VI. APRILIS,
IN A C R O A T E R I O M A I O R I
HORA NONA ANTE MERIDIEM
PVBLICO EXAMINI SVBMITTET
JOHANN GOTTFRIED CRUMBIEGEL,
ROSTOCHIENSIS.

ROSTOCHII,
TYPIS ADLERIANIS

